DE

MEDIAE GRAECORUM COMOEDIAE

NATURA ET FORMA.

SCRIPSIT

GUIL. HENR. GRAUERT,

PHIL. DR. ET PROF. EXTR.

Continuatur disputatio ac finitur.

Igitur in Aristophanis Aeolosicone primas egit Sicon, coquorum quidem heros atque princeps, sed mutatus aliquantum in formam Aeoli Euripidei. Hinc rebus coquinis epulisque locum in ea fabula amplum fuisse, quum coniectura ultro quisque assequatur, demonstratur planissime fragmentis comoediae quamvis paucis. Athenaeus VII. p. 276. c: *τῶν δὲ παρόντων γραμματικῶν τις, ἀποβλέψας εἰς τὴν τοῦ δείπνου παρασκευὴν, ἔφη· Εἶτα πῶς δειπνήσομεν τοσαῦτα δεῖπνα; ἴσως διὰ νυκτὸς, ὡς ὁ χαριεὶς Ἀριστοφάνης ἐν Αἰολοσίκωνι εἶπεν, οὕτως λέγων οἱονεὶ δι' ὅλης νυκτός.* Quae verba, etsi iamborum aliquem habent sonum, Brunckius in versus redigere cum omnino non debebat, tum minime sic:

εἶτα πῶς

δειπνήσομεν διὰ νυκτός;

Utut est, convivia in Aeolosicone per noctem totam celebrata fuisse lauta, ex Athenaeo manifesto apparet. Inde servus, puto, aliquis promam condam his verbis excitabat, quae habet Suidas v. *ἀγοράσαι*:

ἀλλ' ἄνυσον· οὐ μέλλειν ἐχρῆν· ὡς ἀγοράσω
ἁπαξάπανθ' ὁπόσα κελεύεις, ὦ γύναι.

ut vere emendavit Toupius ad Suidam I. 6: neque enim placet ὅσα σὺ Porsoni Advers. p. 279. Hinc et instrumenta coquina apud Pollucem commemorata X. 104. δοίδυξ, θυεία, τυρόκνηστις, ἐσχάρα, et exquisitae deliciae apud Athen. III. p. 95. e:

καὶ μὴν τὸ δεῖν' ἀκροκώλιά γέ σοι τέτταρα
ἥψησα τακερά.

quae exhibui ad rationem Brunckii: nam nec requiritur et inconcinnum est quod Porso corrigit ad Eurip. Or. 79. ἀκροκώλι', ἄγε, ac non magis placet Jacobsii (in Athen. p. 66.) δυσὶ pro δέ σοι. Eodem spectant haec apud Athen. IX. p. 372. a, ex eiusdem emendatione Toupii:

τῶν δὲ γηθύων
ῥίζας, ἐχούσας σκοροδομίμητον φύσιν.

quo loco quum Αἰολοσίκων δεύτερος laudetur, duplicem eius fabulae recensionem exstitisse intelligitur. Iam vides, quam egregie in Aeolosicone locum habere potuerint versus duo, quos dubitans ei Athenaeus tribuit III. p. 112. e: καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Γηρυτάδῃ ἢ (sic enim legendum puto pro καὶ, et ex loquendi consuetudine Athenaei, et propter rem ipsam) Αἰολοσίκωνι διὰ τούτων·

ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον
λιπὼν, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια.

Hoc quoque fragmentum Toupius emendavit l. c., probavitque Porso ad Eurip. Hecub. init.: conf. eiusdem Adversaria p. 66. ed. Angl. Nimirum redit a foro ille ipse servus, qui supra emitti cupiebat verbis ἀλλ' ἄνυσον. Isque in coëmendis deliciis tantum disiecerat nummorum, ut earum recitationem terminaret fere hisce:

ὅπερ ἦν λοιπὸν μόνον,
ἐν τῇ γνάθῳ διώβολόν μοι γίγνεται.

Affert hos versus Pollux IX. 63, emendavit Toupius l. c.:

qui quidem, ad illustrandum illum, qui hic tangitur, morem argenti in ore servandi, alio loco Casaub. laudat ad Theophr. Char. VI. p. 96. sq. ed. Fisch. Convivium autem illud quo magis comoediae conveniret, affuerunt mulieres leves ac frivolae, *ὀρχηστρίδες, τυμπανιστρίαι, αὐλητρίδες, ἑταῖραι*: earumque pellucidas vestes significat, quisquis est, apud Polluc. X. 116:

κἀγὼ διαστίλβονθ' ὁρῶ μὲν, ὥσπερ ἐν
καινῷ λυχνούχῳ, πάντα τῆς ἐξωμίδος.

sic ut recte et emendavit et explicavit l. c. Toupius. Eaeque ipsae intelligendae fortasse sunt in versu apud Pollucem alio I. 79:

κοιτῶν ἁπάσαις εἷς, πύελος δὲ μι' ἀρκέσει.

Iam vero libidinoso hoc in convivio illud poeta facinus perpetrari finxerat, quod deridendum ipsi praebuerat Aeolum Euripideum. Similiter Antiphanes gestam rem proposuerat (v. Athen. X. p. 444. c.):

Μακαρεὺς ἔρωτι τῶν ὁμοσπόρων μιᾶς
πληγεὶς τέως μὲν ἐπεκράτει τῆς συμφορᾶς,
κατεῖχε θ'αὑτόν· εἶτα παραλαβών ποτε
οἶνον στρατηγὸν, ὃς μόνος θνητοῖς ἄγει
τὴν τόλμαν εἰς τὸ πρόσθε τῆς εὐβουλίας,
νυκτὸρ ἀναστὰς ἔτυχεν ὧν ἠβούλετο.

conf. Valck. ad Hippol. p. 304. Alter eiusdem locus ap. Athen. XII. p. 552. f. alium nescio quem tangere videtur. Congruebat autem ea in re fortasse Eriphi quoque fabula, cuius hi versus sunt (Athen. IV. p. 134. c.):

λόγος γάρ ἐστ' ἀρχαῖος οὐ. κακῶς ἔχων·
οἶνον λέγουσι τοὺς γέροντας, ὦ πάτερ,
πείθειν χορεύειν οὐ θέλοντας.

Adeo in hac re adornanda, in qua cardo fabulae vertebatur, consentienter poetae agebant. Et Aristophaneo in Aeolo, quanquam hoc pro certo affirmare nemo ausit, nefaria, qua Macareus in sororis cubiculum invadit, ratio

ex dimidio hoc versu perspici possit apud Polluc. X. 25. *καὶ δι' ὀπῆς κἀπὶ τέγους*. Atque sic fere eum rem instituisse, coniicias ex his Xenarchi versibus (Athen. XIII. p. 569. b.):

ὧν ἐστιν ἐκλεξάμενον ᾗ τις ἥδεται

— — — — —

μὴ κλίμακ' αἰτησάμενον εἰσβῆναι λάθρα,
μηδὲ δι' ὀπῆς κάτωθεν ἐκδῦναι στέγης,
μηδ' ἐν ἀχύροισιν εἰσενεχθῆναι τέχνῃ.

Iam praeter quatuor verba apud Pollucem (*ἀκερματία* IX. 89, *κλειδίον* X. 23, *δυοῖν λυχνιδίοιν* X. 118.), quae varium in argumento fabulae locum tenere poterant, unum tantum fragmentum superest apud Hephaestionem Enchir. de metro choriambico:

Οὐκ ἐτὸς, ὦ γυναῖκες,
πᾶσι κακοῖσιν ἡμᾶς
φλῶσιν ἑκάστοτ' ἄνδρες·
δεινὰ γὰρ ἔργα δρῶσαι
λαμβανόμεσθ' ὑπ' αὐτῶν.

quae verba procul dubio una illarum, quas dixi, eloquitur muliercula: quae autem *δεινὰ ἔργα δρῶσαι* in hac fabula deprehensae sint, ea de re suas nemini coniecturas invidebo. Quae quum ita sint, qua ratione Euripideam Aristophanes fabulam irridere sit conatus, apparet tantum quantum in hac fragmentorum tenuitate apparere potest. Addam his unum, cuius ratio in aprico est, omni tempore coquos et coquinariam rem multum comicis ludendi ridendique argumentum praebuisse: id quod hodieque multis fragmentis doceri potest: v. Meinek. ad Menand. p. 64. Hinc nonnunquam in coquis totum fabulae argumentum positum erat: inde Anaxilai *Μάγειροι* ap. Athen. III. p. 95. b, Nicostrati *Μάγειρος* ib. XIV. p. 664. a.

Apud Platonium una cum Aristophanis Aeolosicone commemoratam legimus Cratini fabulam *Ὀδυσσεῖς*: eamque

ille διασυρμὸν habuisse dicit τῆς Ὀδυσσείας τοῦ Ὁμήρου. Nonam Odysseae rhapsodiam huic comoediae argumentum suppeditasse, Ulyssis cum Polyphemo res gestas, luculenter apparet ex fragmentis: contulit ea cum locis Homericis, indeque fabulae oeconomiam, ab Homerica narratione nihil, ut videtur, recedentem recte explicuit Car. Guil. Lucas in dissertatione inaugurali de Cratino et Eupolide, Bonnae vulgata a. 1825. Ac sane Homerica narratio, quamvis egregio sit charactere epico, tantum et ipsa habet naturae comicae atque aptissimae ad risum movendum materiae, facili ut opera in comoediae iocosae formam redigi potuerit. Quod autem Platonius poetae in ea consilium fuisse dicit διασυρμὸν τῆς Ὀδυσσείας, id hic quidem non tam in argumento ipso positum erat deridendo quam in singulis versibus Homericis ad mentem poetae detorquendis: idque in ea fabula Cratino hoc processit melius quod hexametro versu frequenter usus est. Nimirum quum Atheniensis homo quivis, modo non omnino alienus ab humanitate ac litteris, Homerum suum memoria optime teneret: vel occultiores subtilioresque lusus neminem facile fugiebant. Egregium ex Ulysse fragmentum exstat apud Athenaeum IX. p. 385. c. et Polluc. VI. 68. Ἀνθ' ὧν πάντας ἑλὼν κτλ., in quo Homerica locutio ἐρίηρες ἑταῖροι de Ulyssis comitibus usurpata: v. Od. ι. 100, 172, 193: ac ridicule ὦ στρατιῶται, non sine vi in fine positum. Similiter Cyclops vini amore captus v. 355.

δός μοι ἔτι πρόφρων καί μοι τεὸν οὔνομα εἶπε
αὐτίκα νῦν, ἵνα τοι δῶ ξείνιον, ᾧ κέ συ χαίρῃς. κτλ.
ὣς ἔφατ'· αὐτάρ οἱ αὖτις ἐγὼ πόρον αἴθοπα οἶνον.
— — —
ἐξερέω.

Cratini Ulysses, ut par erat in dramate, non tacitus poculum iterum porrigit, sed his verbis usus:

τῇ νῦν τόδε
πῖθι λαβὼν ἤδη, καὶ τοὔνομα μ' εὐθὺς ἐρώτα.

Athen. X. p. 446. b, ubi ut prior versus compleatur, post τόδε verbum aliquod, quod excidit, addendum est, fortasse πῶμα: conf. Hom. v. 347. sq. Similiter Homerum tetigit hoc versu ap. Athen. III. p. 99. f, Priscian. p. 1214:

ἧσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν.

Homerus enim l. 246.

αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος.

Nolo haec amplius persequi, quum factu sit facillimum. Iam vero si quis hanc, de qua tracto, rem perquiret accuratius, ea ipsa Cratini fabula difficultatem sibi obiectam sentiet haud facile removendam primum aspicienti. Etenim quum Platonius dicat, deficientibus temporum inopia choragis restricta esse a comoediis χορικὰ μέλη et παραβάσεις, eoque sensim mediam provenisse comoediam, eius vero characterem esse talem, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου, καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ (μέλη) οὔτε παραβάσεις ἔχοντα: pugnare cum isto testimonio omni ratione videtur primum quod Cratinus non ad eversam usque democratiam vita fruitus est, in qua commutatae comoediae causa fuit; denique quod socii Ulyssis non solum aderant in scena, ad eosque Polyphemus orationem dirigebat, ut est in fragmento eo quod primum commemoravimus; verum etiam ipsi et loquentes inducebantur, et versibus loquentes melicis: fragm. ap. Hephaest. p. 47.

Σιγάν νυν ἅπας ἔχε, σιγάν,
καὶ πάντα λόγον τάχα πεύσῃ·
ἡμῖν δ' Ἰθακὴ πατρίς ἐστι,
πλέομεν δ' ἅμ' Ὀδυσσεῖ θείῳ.

Quin idem scrupulus de Aeolosicone movetur, quoniam in ea quoque fabula feminarum, ut ostendi, chorus procedebat,

idemque melicos etiam versus edebat, ut in fragmento Οὐκ ἐτὸς, ὦ γυναῖκες. — Quid ergo? an errasse Platonium dicemus, utpote grammaticum semidoctum? — Minime vero: res habet optime. Non enim chorum Platonius in eiusmodi, quas designavit, comoediis defuisse affirmat, sed χορικὰ μέλη et παραβάσεις. Idque affirmavit iure optimo. Etenim μέλη χορικὰ non quaevis chori verba dixit, etiamsi lyricis metris adstricta sint, sed cantica intellexit chori ea quae non recitabantur, sed vere canebantur, tibiarum sonitu pedumque motu comitante. Is enim Graecis usus fuit, ut distinguerent inter ea quae chorus recitabat et ea quae canebat. Aristot. Poet. VI. 4. τὸ δὲ χωρὶς τοῖς εἴδεσι τὸ διαμέτρων ἐνία μόνον περαίνεσθαι, καὶ πάλιν ἕτερα διὰ μέλους: eaque ἕτερα infra ipse χορικὰ μέλη et χοροῦ μέλος dicit cap. XII. 6. 7. Quae autem ex verbis chori cani, quae sine cantu recitari solitum sit, accurate exponit Hermannus ad Arist. Poet. p. 132—139. Et recte quidem χορικοῖς μέλεσι Platonius παραβάσεις iunxit. In canticis enim et parabasibus pompa chori splendorque explicabatur, saltationesque artificiosae ac sumtuosae. Is ergo splendor labente democratia totus intercidit, sumtus, puta, quod praestare amplius aut nolebat quisquam aut nequibat. Manebat igitur quidem in scena chorus, verum specie omni destitutus, neque cantans amplius solenniter ac saltans, sed recitans cuncta, et fere ad unius actoris partes delapsus: metra non iambica sola et trochaica, sed etiam lyrica alia, verum simplicia omnino, neque mixta ac varia, nedum systemata tota. Res manifesta est in Aristophanis Pluto, qui, qualem nos hodie legimus, ipse in hanc aetatem illudque fabularum genus incidit: in quo item χορὸς est ἀγροικῶν, isque non omnes versus iambicos proferens, sed nulla insunt χορικὰ μέλη, παράβασις nulla. Igitur quum et Cratini Ὀδυσσεῖς aetate ea scripta sit quae satis ab ipsis mediae comoediae originibus remota est, (mortuus enim poeta est

haud longe post quam ingeniosissimam fabulam Pytinen docuerat, Ol. 89. 1: v. Herm. Praef. ad Aristoph. Nub. p. XIX. sq.), quumque permultis *τῶν παλαιῶν δραμάτων* sive fabularum *antiquae* comoediae eadem ratione cantica chori et parabases defuerint, teste Platonio: quae tandem huius rei causa fuerit, quum ab antiquae natura comoediae tantopere ea adornatio abhorrere videatur, investigandum est. Quam causam facile ego ostendi posse autumo. Aristoteles enim Poet. V. 3. *ἡ δὲ κωμῳδία*, inquit, *διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς, ἔλαθε. καὶ γὰρ χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν, ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν.* Quos *ἐθελοντὰς* poetas esse ipsos, qui suis sumtibus chorum instruere fuerunt coacti, recte ex Eustathio Tyrwhittus docuit: de archontum in re scenica officio vide quos h. l. laudat Hermannus. Quoniam autem ea poetarum sors esse solet, ut Olympi beatitudines potius quam terrarum fortunae ipsis concedantur, ac plerumque praeter ingenium opes iis sunt nullae: non est quod pluribus exponam, chori instruendi atque eapropter fabulae docendae facultatibus saepe eos fuisse destitutos, ideoque circumspicere debuisse, quanam ratione sine choris fabulas docere possent. Hinc illud comoediarum genus, quod significat Platonius.

Anonymus de vita Aristophanis p. XIII. Kust.: *Ἀριστοφάνης — ὃς πρῶτος δοκεῖ τὴν κωμῳδίαν ἔτι πλανωμένην τῇ ἀρχαίᾳ ἀγωγῇ ἐπὶ τὸ χρησιμώτερον καὶ σεμνότερον ἀγαγεῖν, πικρότερον καὶ αἰσχρότερον Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος βλασφημούντων ἢ ἔδει. πρῶτος δὲ καὶ τῆς νέας κωμῳδίας τὸν τρόπον ἀπέδειξεν ἐν τῷ Κωκάλῳ, ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν λαβόμενοι Μένανδρός τε καὶ Φιλήμων ἐδραματούργησαν.* Idem p. XIV: *ἐγένετο δὲ καὶ αἴτιος ζήλου τοῖς νέοις κωμικοῖς, λέγω δὴ Φιλήμονι καὶ Μενάνδρῳ. ψηφίσματος γὰρ γενομένου χορηγικοῦ* (sic enim legendum pro *χορηγοῦ*: et emendavit, ni fallor, Meinekius Qu. Sc., quam commentationem doleo nunc mihi non licere inspicere), *ὥστε μὴ ὀνομαστὶ κωμῳ-*

δεῖν τινα, καὶ τῶν χορηγῶν οὐκ ἀντεχόντων πρὸς τὸ χορηγεῖν, καὶ παντάπασιν ἐκλελοιπυίας τῆς ὕλης τῶν κωμῳδιῶν διὰ τοῦτο αὐτό (αἴτιον γὰρ κωμῳδίας τὸ σκώπτειν τινὰς)· ἔγραψε κωμῳδίας τινὰς, Κώκαλον, ἐν ᾧ εἰσάγει φθορὰν καὶ ἀναγνωρισμὸν, καὶ τἄλλα πάντα ἃ ἐζήλωσε Μένανδρος. Argum. ad Plutum Arist. IV. τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα. Inde Clemens Alex. Strom. VI. p. 628. Sylb. τὸν μέντοι Κώκαλον, τὸν ποιηθέντα Ἀραρότι τῷ Ἀριστοφάνους υἱεῖ, Φιλήμων ὁ κωμικὸς ὑπαλλάξας ἐν Ὑποβολιμαίῳ ἐκωμῴδησεν, ut emendavit Casaub. in Athen. III. 9. Tractaverat autem in Cocalo Aristophanes antiquam fabulam de Minoe Cretensium rege in Sicilia occiso. In qua enarranda scriptores nonnihil inter se dissentiunt. Summa haec est. Daedalus artifex Athenis fugiens Cretam pervenit: ubi benigne exceptus diutius commoratus est, regi gratus Minoi. Postremum autem dissidio orto, iracundiam regis veritus Creta profugit, in Siciliamque insulam delatus est. Cuius dissidii causas diversas a diversis auctoribus traditas Eustathius exponit ad Hom. p. 1166. In Sicilia Daedalus a Cocalo rege hospitio exceptus magnique aestimatus, in regno eius permansit, operaque complura fabricatus est. Minos vero perfugam ulturus cum classe in Siciliam contendit, Daedalumque a Cocalo ad poenam exposcit. Qui cuncta se in gratiam ei facturum simulans, in hospitium ut apud se Minos devertat facile efficit. Ibi celeberrimus rex in balneis occiditur: sive a Cocalo ipso, ut quidam volunt, sive a filiabus eius, quod affirmant alii: et quidem aut aqua in eum effusa fervida aut quocunque modo alio: v. Diod. IV. 77—79, Pausan. VII. 4, Schol. ad Pind. Nem. IV. 95, Eustath. p. 1816, Conon. Narrat. 25, Hygin. fab. 40 et 44, Ovid. Ibide v. 291, Euseb. n. DCCCXIII, Tzetz

Chil. I. 508 sqq., Zenob. IV. 92. Ac Zenobius quum pice fervida infusa Minoem occisum narrat, affert quaedam non trita: quae Ephoro fortasse aut Philisto eum debere, quorum περὶ Δαιδάλου τῆς ἀφίξεως πρὸς Κώκαλον narrationes ut exempla pueris legenda Theo commendet Progymn. p. 16, Valckenarius monuit ad Herod. VII. 169. Cocali urbem soli Pausanias et Charax Historiographus (Steph. Byz. v. Κάμικος) Ἴνυκον dixerunt, Ephorum fortasse aut Philistum secuti, ceteri omnes Κάμικον. Eorumque a partibus auctores alii stant gravissimi, Herodotus l. c., qui Minois τὸν ἐν Καμίκῳ θάνατον commemorat (conf. quae cap. seq. addit), Aristotelesque II. Polit. 7, et Sophocles, qui eam fabulam satyrico dramate tractavit Καμικίοις: hunc enim dramatis indicem in Athen. III. p. 86. d, IX. p. 388. f, pro vulgato Καμικοῖς recte restituit apud Valck. l. c. A. Heringa: qui provocare poterat ad Suidam v. Περδικος ἱερὸν, Hesych. v. κωχεύουσι. Ceterum quae et de Daedali erroribus et de morte Minois alia varie narrantur, Kannius exponit ad Conon. l. c. — Igitur in Cocalo quoque Aristophanes antiquam aliquam μυθολογίαν, epico cuidam poetae cantatam, κωμικῶς καὶ γελοίως repraesentavit. Cuius fabulae singulas partes perquirere ac fragmenta diligenter excutere parum e re nostra est, propterea quod deest nobis quocum contendere possimus, antiquum illud exemplar. Sane si, quale Hypobolimaei Philemonis argumentum fuerit, exputare nobis liceret, ad Cocalum inde Aristophaneum aliquid certe lucis redundaret. Verum non superest eius nisi unus versus et verbum unum: v. Meinek. Men. et Phil. p. 387: cuius quidem doctissimi viri coniectura, hanc eandem fabulam nomine Ἄγροικος laudari, etiamsi non tam esset incerta, tamen ipsa nihil nos iuvaret, quoniam eius unum modo vocabulum superest στρουθία. Veriorem aliam eiusdem Meinekii ratiocinationem dixeris eam qua Ὑποβολιμαῖον primam Philemonis fabulam fuisse affirmat

(Proleg. ad Men. et Phil. p. XLV.), eaque novam comoediam cepisse initium. At Aristophanis fabula, quanquam inductis φθορᾷ et ἀναγνωρισμῷ magis varia eius compositio facta est atque artificiosior, ipsa tamen tota mediae adhuc comoediae est, et ob argumentum et ob argumenti tractationem: grammatici enim verbis semidocti quis fidem magnam adhibuerit?

Quae quum ita sint, duarum comoediarum, in quibus mediae comoediae characterem Platonius expressam plane fuisse asseveravit, ac tertiae fabulae, illis et aetate et natura aequalis, rationem atque compositionem clare perspeximus: quod etsi magno satis ambitu factum est, non tamen, puto, aequus lector gravabitur, qui aliter hoc fieri non potuisse intelligat. At vero ea comoediarum species, qua mythica argumenta in scenam deducebantur, deridebanturque simul cum poetis, qui ea prius tractaverant, epicis vel tragicis, non tunc demum tanquam prorsus nova exorta est, sed habebat etiam antiqua comoedia ipsa similes non paucas: idque recte Platonius significabat hisce: καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε μέλη χορικὰ οὔτε παραβάσεις ἔχοντα. Cuius generis quae fabulae fuerint, e nominibus extricari optime potest. Pertinuerit igitur huc vel antiquissimi Ecphantidae Διόνυσος, de quo supra diximus, item Διόνυσος Magnetis, ac nescio an etiam Ἥρωες Chionidae: ex Cratini autem fabulis, praeter Διονυσαλέξανδρον et Ὀδυσσεῖς, certe Χείρωνες, Τροφώνιος, Εὐμενίδες, ac fortasse Πλοῦτοι, Ὧραι, Θρᾶτται: Hermippi Εὐρώπη, Ἀθηνᾶς γοναί, Μοῖραι, Θεοὶ, Κέρκωπες: cuius quidem poetae acerbae Homericorum versuum parodiae satis apud veteres celebratae sunt: v. Polemonem Athen. XV. p. 699. a. De Myrtili comoedia Τιτανόπανες mentionem supra feci: deinde Pherecratis Τριπτόλεμος et Χείρωνες, Phrynichi Κρόνος ac nescio an Σάτυροι, Strattidis Ἀταλάντη et Τρωΐλος, Platonis senioris Ζεὺς κακούμενος, Ἰώ, Εὐρώπη, Δαίδαλος,

Ἄδωνις, Ἀμφιάραος, Λάϊος, Εὐμενίδες, Μενέλαος: denique τοῦ κωμικοῦ ipsius Ἀμφιάραος, Γλαῦκος, Δαίδαλος, Δαναΐδες, Ἐρεχθεὺς, Ἥρωες, Πολύειδος, Φοίνισσαι: quibus ipse scio et addi aliquot posse et fortasse detrahi. Iam vero altius licet ascendere, atque e remotissima antiquitate lucem huic rei petere non contemnendam. Etenim pro certo constat, et veterum scriptorum testimoniis et fragmentis multis comprobatum, antiquissimum comoediae auctorem Siculae Epicharmum perquam multum fuisse in deridendis antiquissimis poetis epicis, Homero maxime et Hesiodo, acerbissimisque dicteriis fabulas eorum perstrinxisse et fictionibus admodum ingeniosis summeque ridiculis: pertinent huc Epicharmi comoediae permultae, velut Ὀδυσσεὺς ναυαγός, Ὀδυσσεὺς αὐτομόλος, Ἥβας γάμος, Ἡρακλῆς, Κύκλωψ, Ἀτάλανται, Βάκχαι, Βούσιρις, Προμηθεὺς, Διόνυσος, Ἥφαιστος, Μοῦσαι, Νιόβης γάμος, Φιλοκτήτης, aliae plurimae. Eidem vero Epicharmo et χορικὰ μέλη ac παραβάσεις defuerunt, et totus defuit chorus. Itaque in aperto positum est unum quo Atheniensium comoedia cum Sicula coniuncta fuit vinculum. Nam quod fabularum genus in Sicula primarium semper fuit, id in Atheniensi antiqua tanquam secundarium perpetuo colebatur, in media locum occupavit multo insigniorem. Magna est enim quae mediae poetarum comoediae commemoratur istiusmodi dramatum copia: ut sunt Alexidis Γαλατεία, Ἑλένη, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Ἡσιόνη, Λῖνος, Μίνως, Ὀδυσσεὺς ὑφαίνων, Ὀρέστης, Τηθὺς, Τροφώνιος: Anaxandridae Ἀγχίσης, Ἑλένη, Ἡρακλῆς, Θησεὺς, Λυκοῦργος, Νηρεὺς, Ὀδυσσεὺς, Πάνδαρος, Πρωτεσίλαος, Τηρεύς: Antiphanis Αἴολος, Ἀθάμας, Ἄλκηστις, Ἀνταῖος, Ἀσκλήπιος, Ἀφροδίτης γοναὶ, Βάκχαι, Βούσιρις, Γανυμήδης, Δευκαλίων, Κύκλωψ, Μειλανίων, Μελέαγρος, Μήδεια, Οἰνόμαος, Ὀμφάλη, Ὀρφεὺς, Σαπφὼ, Φάων, Φιλοκτήτης, aliorum aliae multae. Pleraque mythologica argumenta Eubulus tractavit, antiquae et mediae comoediae

quasi terminus (v. Ammon. v. Ἔνδον). Contra in nova comoedia vix una alterave huius generis fabula scripta fuit: Menandri Antiopam Suidas habet, Philemonis, cuius aetas et ipsa in mediae comoediae tempus ex parte incidit, Palamedem Stobaeus laudat, Ἥρωες Schol. Plat.: de eiusdem quae fertur comoedia Μυρμιδόνες recte dubitare videtur Meinek. p. 371.

Praeter hanc, de qua hucusque disputatum est, argumentorum speciem, quibus et mythologia et poetae tam tragici quam epici deridebantur, alia fuit in media comoedia apprime frequentata, ea quae in perstringendis moribus versabatur iis qui proprii erant certis quibusdam hominum generibus, aut populis exteris aut hominibus doctis, artificibus, chirotechnis, meretricibus, psaltriis, aliis similibus. Quo ex genere Antiphanis fuerunt Κᾶρες, Κρῆτες, Λήμνιαι, Βοιώτιοι, Λυδὸς, Ἐπιδαύριος, Ἰατρὸς, Κηπουρὸς, aliae: Alexidis Θηβαῖοι, Καύνιοι, Μιλήσιοι, Θεσπρωτοὶ, Μάντεις, Παράσιτος, Παγκρατιάστης, reliquae: Anaxandridae Σαμία, Φαρμακόμαντις, Κιθαρίστρια, Ζωγράφοι, Ἄγροικος: Eubuli Στεφανοπωλίδες, Πορνοβοσκὸς, Ψάλτρια, aliae multae. Eius quoque generis quaedam exempla in antiqua comoedia reperiuntur, atque in nova non pauca. Verum in media hoc, sicut et alterum illud, non solum regnabat quasi, sed etiam utrorumque argumentorum tractatio, tam mythologicorum quam istorum, ut hoc vocabulo utar, ethicorum, ab eorundem tum in antiqua tum in nova tractandorum ratione nimium quantum abhorrebat. Nam quum antiquae comoediae is finis fuerit et consilium illud, ut singulorum hominum eorumque vivorum nequitia ac pravitas acerbe castigaretur: hoc quin etiam in iis fabulis, in quibus de publica re nulla tractabant, strenue poetae persecuti sint, nihil omnino est quod dubites. Quam vero parum ab iis alienum fuerit, etiam mythologicis ethicisque

fabulis res tangere omnino non cognatas, non ignorat quisquis liberos antiquae comoediae spiritus aliquantum persensit: poteritque ea in re vel Plautus documento esse non inepte. At quum propter nimis libidinosam poetarum acerbitatem saepius vetitum esset *μὴ ὀνομαστί τινα κωμῳδεῖν*, et maxime post XXX tyrannorum dominationem metus liberioris spiritus suffocaret igniculos: non audebant poetae nisi tota hominum genera perstringere vel qui antea vixerant celebres aut poetas aut *πολιτικοὺς ἄνδρας*, idque non ita acerbe, saltem ut nemo se notatum esse iure posset conqueri. Hinc etiam in media comoedia derisi sunt Hesiodus, Sappho, multi poetae alii, ita ut singularis adeo liber fuerit Antiochi Alexandrini *περὶ τῶν ἐν τῇ μέσῃ κωμῳδίᾳ κωμῳδουμένων ποιητῶν* (Athen. XI. p. 482. c.): deinde Alcmaeo Pythagoricus (v. Menag. ad Diog. L. VIII. 39.), Pythagorici alii, Plato, atque omnino philosophi multi: sed vivus ac nominatus, sicut in Nubibus et Conno Socrates, in *Κόλαξι* Protagoras, quantum ego novi, nemo: ex his autem et antiquis et mediis comoediis, ubi de claris hominibus multa vere, multa fabulose dicebantur, magnam mendaciorum copiam in historiam esse illatam, olim ego ostendi in dissertatione mea de fabulis Aesopiis. Contra in nova comoedia illa quoque libertas circumcisa ac temperata est. Nam nec poetae illic derisi sunt, ut in antiqua et media, et si quorum mores et ingenium perstringebantur universim, admodum leniter hoc agebatur atque ore subridente. At altera ex parte defuit mediae comoediae et illud quod in antiqua locum primarium obtinuerat civium regendorum studium, et quae in nova vitae quotidianae sine ulla acrimonia repraesentatio.

Iam vero quum mediae comoediae natura ipsa atque *οὐσία* ab antiqua pariter ac nova tam diversa fuerit, ea quoque, quae ad externam eius formam pertinent ac spe-

eiem, congrua illi fuisse, simillimum veri esset etiamsi nullum ea de re testimonium exstaret. At exstat utique: hisce enim iuvare nostram huius rei intelligentiam dignatus est Anonymus *περὶ κωμῳδίας* p. XII. Kust.: *τῆς δὲ μέσης κωμῳδίας δύο* (leg. *οἱ*) *ποιηταὶ πλάσματος μὲν οὐχ ἥψαντο ποιητικοῦ, διὰ δὲ τῆς συνήθους ἰόντες λαλίας λογικὰς ἔχουσι τὰς ἀρετάς, ὥστε σπάνιον ποιητικὸν εἶναι χαρακτῆρα παρ' αὐτοῖς. κατασχολοῦνται δὲ πάντες περὶ τὰς ὑποθέσεις.* Quod quidem non nimium urgendum esse, sed magis intelligendum antiqua comparata comoedia, ut Cratini *δωδεκακρούνῳ στόματι*, fragmentis satis docemur Alexidis, Antiphanis, aliorum: quanquam de Ararote qui ea dixit, sane non nimius fuerit (*ψυχρότερος Ἀραρότος*: Casaub. in Athen. III. 9. et 15.). Ceterum novae comoediae genus dicendi rursus differebat a media, quippe quod ad summam elegantiam gracilitatemque et subtilitatem mox devenerit. Denique etiam in personis, quibus in unoquoque comoediarum genere uti solebant, quaedam differentia erat posita: qua de re luculentus locus est in fragmento eo quod Platonio addicitur: *οὐ μὴν οὐδὲ τὰ προσωπεῖα ὁμοιοτρόπως τοῖς ἐν τῇ παλαιᾷ κωμωδίᾳ κατεσκευασμένοις εἰσῆγον. ἐν μὲν γὰρ τῇ παλαιᾷ εἴκαζον τὰ προσωπεῖα τοῖς κωμῳδουμένοις, ἵνα, πρίν τι καὶ τοὺς ὑποκριτὰς εἰπεῖν, ὁ κωμῳδούμενος ἐκ τῆς ὁμοιότητος τῆς ὄψεως κατάδηλος ἦ· ἐν δὲ τῇ μέσῃ καὶ νέᾳ κωμῳδίᾳ ἐπίτηδες τὰ προσωπεῖα πρὸς τὸ γελοιότερον ἐδημούργησαν, δεδοικότες τοὺς Μακεδόνας καὶ τοὺς ἐπηρτημένους ἐξ ἐκείνων φόβους, ἵνα μὴ ἐκ τύχης τινὸς ὁμοιότης προσώπου συμπέσῃ τινὶ Μακεδόνων ἄρχοντι, καὶ δόξας ὁ ποιητὴς ἐκ προαιρέσεως κωμῳδεῖν δίκας ὑπόσχῃ. ὁρῶμεν γοῦν τὰς ὀφρῦς ἐν τοῖς προσώποις τῆς Μενάνδρου κωμῳδίας ὁποίας ἔχει, καὶ ὅπως ἐξεστραμμένον τὸ σῶμα καὶ οὐδὲ κατὰ ἀνθρώπων φύσιν.*

Haec quum ita sint, mediam comoediam, licet transitum paraverit ex antiqua ad novam, et utriusque par-

ticulam innatam habuerit aliquam, tamen et natura et forma fuisse tam sibi propria, tamque certis finibus circumscripta, vere ut novum comoediae genus ac peculiare nuncupari et possit et debeat, in apertum iam, puto, vindicatum est: id quod et alii negarunt et Aug. Guil. a Schlegel in praeclaro elegantissimae eruditionis opere de arte dramatica veterum recentiorumque Vol. I. p. 326. sqq.